

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 5: De aliis rebus Caput 1: De sapientia vera (7)

Isidorus:

Omnis qui servit deo beatus est. Beata vita cognitio divinitatis est.  
Cognitio divinitatis virtus boni operis est  
aut bone operationis.  
Virtus bone operationis est virtus eternitatis.  
Qui secundum mundum sapiens est, secundum deum stultus est.  
Stultus quippe factus est omnis homo a sapientia dei.  
Primum studium scientie est querere deum, deinde honestatem vite cum innocentie opere.  
Nullus sapientiam dei plene recipit, nisi qui se abstrahere actionum cura contendit.  
Unde et scriptum est:  
Sapientiam scribe in tempore otii et qui minoratur actu ipse percipiet eam.

Simplicitatem cum ignavia vocari stultitiam,  
simplicitatem vero cum prudentia vocari sapientiam decet.  
Utile est multa scire et recte vivere. Quod si utrumque non valemus,  
melius est, ut bene vivendi studium quam multa sciendi sequamur.  
Non pertinere ad beatitudinem consequendam scientiam rerum, nec esse beatum scire multa,  
sed esse magnum beate vivere. Nichil prodesse omnem scire prudentiam cum ignorantia dei,  
et nichil obesse scientibus deum ignorantia mundi.  
Perfecte autem scit qui deum prius, et ista non pro se, sed pro deo scit.  
Nichil obesse cuiquam si per simplicitatem aliquam de elementis indigne sentiat,  
dummodo de deo vera pronuntiet.  
Nam quamvis de incorporeis naturis nequeat quisque disputare,  
beatum autem facit illum vita recta cum fide.  
Et cetera require supra.

Omnis qui secundum Deum sapiens est beatus est. Beata uita cognitio diuinitatis est.  
Cognitio diuinitatis uirtus boni operis est.

Virtus boni operis fructus aeternitatis est.  
Qui secundum saeculum sapiens est, secundum Deum stultus est.  
Unde et propheta: *Stultus*, inquit, *factus est omnis homo ab scientia*.  
Primum est scientiae studium quaerere Deum, deinde honestatem uitae cum innocentiae opere.  
Nullus sapientiam Dei plene recipit, nisi qui se ab omni abstrahere actionum cura contendit.  
Unde et scriptum est:  
*Sapientiam scribe in tempore otii et qui minoratur actu, ipse percipiet eam.*

Isidorus Hispalensis, *Sententiae*, 2.1.1-4 (CCSL 111, P. Cazier ed., p.91, ll.3-15).

Simplicitatem cum ignauia uocari stultitiam,  
simplicitatem uero cum prudentia uocari sapientiam.  
Utile est multa scire et recte uiuere. Quod si utrumque non ualemus,  
melius est ut bene uiuendi studium quam multa sciendi sequamur.  
Non pertinere ad beatitudinem consequendam scientiam rerum, nec esse beatum multa scire,  
sed esse magnum beate uiuere. Nichil prodesse omnem scire prudentiam cum ignorantia Dei,  
et nihil obesse scientibus Deum ignorantiam mundi.  
Perfecte autem scit qui Deum prius et ista non pro se, sed pro Deo scit.  
Nichil obesse cuiusquam si per simplicitatem aliqua de elementis indigne sentiat,  
dum modo de Deo uera pronuntiet.  
Nam quamuis de incorporeis corporeisque naturis nequeat quisque disputare,  
beatum tamen illum facit uita recta cum fide.

Isidorus Hispalensis, *Sententiae*, 2.1.10-14 (CCSL 111, P. Cazier ed., p.93, ll.37-53).